



G

H

W

1

6

2

4



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Disciplinae:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reperiuntur, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

P. q. 4.



DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
QUINTA
De
DISTINCTIONIBUS
ENTIS,

Quam
Bono cum DEO

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstädt. Saxonis,

Consensu Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ

In Florentiſſimâ ac Celeberrimâ Academia

WITTEBERGENSI

Publicè

Ventilandam exhibet

JOACHIMUS CÖLERUS

Pafwalcô-Pom.

*Ad diem 5. Aprilis horis à ſeptima
matutinis.*



WITTEBERGÆ

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

METAPHYSICARUM
DISTINCTIO
QUINTA
DISTINCTIO

DE
DISTRIBUTIONE
METAPHYSICARUM
DISTINCTIO
QUINTA
DISTINCTIO

WITTENBERG
EX TYPOGRAPHICO CHRISTIANO TAMM
ANNO M DC XXXII



DISPUTATIO METAPHYSICA

QUINTA

De

DISTINCTIONIBUS ENTIS.

CONTINUATIO.



Itè nunc *ad distinctiones Entis* progredimur. Quia enim non sufficit ad plenariam subjecti Metaphysici, nempe entis, explicationem tradidisse quidditatem & conceptum ejus adequatum, omninò methodus & ordo nostrarum Contemplationum Metaphysicarum efflagitat, ut statim, *absoluta definitivâ Entis consideratione*, quam in antecedentibus disputationibus exhibuimus, accingamur ad distinctivam ejusdem considerationem. Scilicet magna Entis est varietas. Quæ nisi evolvatur, facilè circa Entis sive objecti Metaphysici *ἁωχῶν* perturbari poteris. Proœmii autem loco notabis hic accuratè loquendo *non proponi divisiones Entis* (licet vulgò & *ἐπιπέτῃ* non rarò dicantur divisiones, quæ circa hanc materiam solent tradi, sicuti etiam ejusmodi locutio alibi extra propriam suam sedem non improbat) sed *distinctiones*, inter quos terminos, ut omninò discrimen est, ita hic quoq; idem volumus observatum. *Divisio Entis* dicitur, quando tanquam in species, utpotè in substantiam & accidens dispescitur, ut infra dicitur. *Distinctiones autem Entis* hic dicimus illas, quando Ens latissimè sumtum suo modo æquivocum discernimus in sua quasi æquivocata ita, ut alteram partem tanquam Metaphysici peculi propriam seligamus, eamq; cum Entis *ἁωχῶν* conjungamus: alteram verò tanquam alienam & huc directè non pertinentem separemus, vel omninò ad similitudinem potioris partis explanemus. Et ita nunc Ens distinctivè considerandum sumimus, adeoq; cum bono Deo loquentes ponimus.



THESIS I.

Omniū primūm distinguitur *Ens in Incomplexum & complexum*, distinguitur ita *Ens* latissimè sumtum. Quicquid enim *Entis* nomine venit, illa continetur. *Arist. lib. categ. cap. 2.*

II. *Ens Incomplexum* est terminus, notioq; simplex unam rem præcisè notans, vel est id, quod prima mentis operatione eâq; simplici concipitur & intelligitur. Ut *Ens*, substantia, accidens, &c.

III. *Complexum* est, quod in compositione & partibus suis spectatur. Estq; vel *Physicum*, vel *Logicum*. *Illud* est, quodcunq; concretè existit, & ut existit concretè, in considerationem venit. E. g. *Doctum*, quantum, album, dulce, &c. *Logicum complexum* est, quod duobus constat conceptibus, & *πρῶτως* est integra enunciatio.

IV. Quod si hæc paullo obscuriora videntur, perspicuè magis ita rem præsentem repræsentare possumus. *Ens incomplexum* est, quod absq; compositione unum quid simplex infert, sive sit vox una, sive res & conceptus unus. Ubi notabis 1. *Incomplexum quid dici vel ἀπλῶς*, ita ut omnem planè complexionem aut compositionem excludat & respuat, quomodo conceptus transcendentales dicuntur incomplexi. Sic conceptus *Entis* simplicissimus est ἀπλῶς incomplexus & abstractissimus, quippè ad quem omnes reliqui mentis conceptus recurrunt, inq; eum ultimato resolvuntur: vel incomplexū dicitur κατὰ τὸ, quod in suo genere habet indivisionem & simplicitatem conceptus aut vocis. Sic omnis conceptus prædicamentalis, qui per se est in aliquo certo prædicamento, est incomplexus. Ut corpus, Angelus, homo, lapis, linea, habitus, scientia, paternitas, disputatio &c. 2. *Incomplexio sumitur vel quoad rem tantum*, utpotè quando una res significatur, licet illa pluribus efferatur vocalis. E. g. Animal rationale, Redemptor generis humani, *Habitus instrumentalis in-*

lis indagandi veritatem. Sunt entia incomplexa, quæ omnia unam rem exprimunt. Primum denotat *Hominem*: alterum designat *Christum*, & tertium importat *Logicam*: vel quoad vocem tantum, ut quando una habetur vox, licet illa plures involvat res & conceptus. E. g. sedemus, scribit, legunt, curro, coloratum; quæ sunt incomplexa quoad vocem, sed quoad rem sunt complexa: vel deniq; incomplexio dicitur quoad Rem & vocem simul. Quæ propriè & *per se* incomplexio est, quando non modò una vox ponitur, sed etiam una voce res una & simplex unusq; conceptus exprimitur. E. g. Homo, Deus, Sapientia, Animal, color, Physica, cœlum, corpus, &c. Similiter & complexum se habet. Est enim ejusmodi Ens, quod ex incomplexis, vel ex pluribus, vel ad minimum ex duobus est quasi conflatum & compositum. Et tale potissimum est propositio sive enunciatum integrum. E. g. corpus est quantum, Aristoteles disputat, Philosophi sunt honorandi, &c. Ut verò incomplexum, sic & complexum habet complexionem vel quoad Rem tantum, ut curro, doctus, Philosophus, pugnant; vel quoad vocem tantum, ut corpus vivum, sentiens, animal rationale, locus concionibus sacris destinatus: vel quoad Rem & vocem simul. Quæ ultima complexa sunt potissima, & semper sunt, ut dixi, enunciationes vel orationes integræ. Confer. Exerc. Metaph. Clar. Dn. Jac. Mart. Exerc. 3. theorem. 3. Bert. lib. 1. log. cap. 2.

V. Huc referri potest *distinctio Entis in abstractum & concretum*, ut docet Clar. Dn. Jac. Mart. in Coll. Disput. Metaph. publ. *Abstractum* est sola forma in se: vel est id, quod simplicem formam & essentiam significat præcisè. Ut *justitia, fortitudo, doctrina*. Quæ sine ullo additamento significant habitus ipsos, per quos disponuntur adjustè, fortiter, doctè agendum.

VI. Faciunt autem *abstractum* duplex: *Existentiæ* unum, alterum *essentiæ*. Illius exempla sunt, *Homo, Corpus, animal*.

Hujus Humanitas, Corporeitas, Animalitas. Ubi tamen in
accidentibus contrarium obtinet. Ibi namq; abstracta exi-
stentiæ sunt & dicuntur abstracta essentiæ, & quæ in substan-
tiis sunt abstracta essentiæ, ibi dicuntur abstracta inhærentiæ.
Sic in accidentibus abstracta essentiæ sunt color, albedo. Ab-
stracta verò inhærentiæ dicuntur, ut quando dicitur, colo-
reitas, albedineitas &c. vide Sobr. Phil. D. Meisn. p.1.f.4. c.5.

VII. Sed melius est si dicamus, quod sit vel *Ultimatum*,
vel *Non-Ultimatum*. Hoc est, quod adhuc ulteriorem admit-
tit abstractionem, ut color, homo, corpus, animal. Qui ter-
mini sunt quidem abstracti, cum repræsentent simplicem
rem & naturam per se unam & indivisam, tamen ab illis ad-
huc alia solet fieri abstractio, ut à calore coloreitas, ab homi-
ne humanitas, à corpore corporeitas, ab animali animalitas.

VIII. *Abstractum Ultimatum est*, quod ultimam suam ha-
bet abstractionem & respuit ulteriorem, E. g. Albedineitas.
Quam, ajunt, significare naturam albedinis tanquam exi-
stentem per se per modum substantiæ; albedinem autem (Ab-
stractum non-ultimatum) significare eandem naturam, sed
prout actu existit in subjecto.

IX. Si *ratione materie* attendas abstractionem, eum adhuc
variè aliquid erit *abstractum*, nempè *vel secundum Rem & Ra-
tionem*, ut Spiritus; *vel secundum indifferentiam*, ut transcen-
dentia, *vel secundum Rem*, ut corpora naturalia; *vel secun-
dum Rationem* ut mathematica. Qua de re infra fufius, quan-
tum ad Metaphysicam spectat.

X. *Concretum est*, quod habet compositum significandi
modum, hoc est, denotat formam cum connotatione subje-
cti, in quo illa forma reperitur. Sic *fortis, doctus*, non mo-
dò significat fortitudinem, doctrinam, sed etiam consigni-
ficat subjectum, quod habeat fortitudinem, doctrinam. Nem-
pè fortis est, qui habet fortitudinem. Ergò *fortis duo denotat.*
1. id, quod habet. 2. id, quod habetur. Et sic in aliis. *Quòd est cor-
pus*

pus calidum, non qualitas solum (quæ dicitur *ἰσχυρός*) ait *Scalig. de plant. pag. 393.* Et rursus pag. 460. *Humidum non est sola qualitas bumida, sed corpus affectum humiditate. Magnum non est magnitudo, sed eam habens, corpus non est corporeitas, sed eam habens, ait Zab. 2. de prima materia cap. 16.*

XI. Neq; verò ignorandum, quod *abstractum hoc, ut & concretum Metaphysicum distinguatur ab abstracto & concreto Logico sive Logice considerato.* Etenim *abstractum Metaphysicum* (quod aliàs & *Physicum* dicitur) est terminus realis præcisè unum quid notans, ut modò expositum est. Sed *abstractum Logicum* secundum accuratiores Logicos coincidit cum synonymo & est notio secunda, quæ exprimit respectum rerum essentialem. E. g. *Animal* est abstractum Logicum ad hominem. *Homo* ad *Petrum, Paulum, Johannem, &c.* *Ens* ad substantiam, *rationale* ad hominem. Hinc *non omne abstractum Metaphysicum est abstractum Logicum.* Nec contra. *Item non omne concretum Logicum semper est concretum Metaphysicum.* Nec contra. Etenim potest aliquid habere respectum essentialem ad aliud, si maximè non sit abstractum Metaphysicum, ut coloratum ad album: & animatum ad hominem: ibi coloratum & animatum sunt quidem concreta Metaphysica, sed tamen sunt abstracta Logica: quia coloratum esse est de essentia albi, & animatum esse est de essentia hominis. Deindè *nec omne abstractum Metaphysicum est statim Logicum*, ut doctrina est quidem Physicè sive Metaphysicè abstractum, sed tamen ad hominem quando refertur, tum non est abstractum Logicum, sed concretum. Et ita porrò in reliquis. Similiter se res habet in concreto. Nam potest aliquid esse *concretum Logicum* (ut doctrina vel virtus ad hominem) quod tamen *non est concretum Metaphysicum.* Sic contra, quoddam Metaphysicum concretum est abstractum Logicum, ut quando dico; *Homo est animalis*, ibi *animale* est abstractum Logicum, quia respectum essentialem habet ad
ho mi-

hominem, & tamen est concretum Metaphysicum. Apparet ita, quod minimè abstractum & concretum Logicè & Metaphysicè spectata debeant confundi.

XII. Porro Ens incomplexum subdividitur in *Reale* & *Rationis*. Utrumq; habet suam veritatem. *Reale* in natura & à natura. *Rationis* verò Ens à mente & ratione nostra. Et sic quoq; Ens latissimè sumtum dispescitur. Nihil enim hic dari potest, quod rationem Entis habeat, & non includatur huic distinctioni.

XIII. *Reale Ens* accipitur latè & strictè, ut patet *ex 5. Met. t. 14. Latè & sic minus propriè* sumitur, quatenus suo ambitu sine exceptione comprehendit omnia, quæ fundant veritatem propositionis, hoc est, quæ præbent tale fundamentum propositionum, quod sit in rebus ipsis sine dependentia ab intellectu, positivum aut privativum aut negativum juxta conditionem prædicati, quod de subjecto enunciatur. Sic *cæcitas est Reale quid*. Quando enim præcisè sumitur juxta rationem propriam, revera est in rebus ipsis ante mentis operationem *scilicet removendo formam realem à subjecto*. Undè & propositio fit vera, quando de re enunciatur. Interim non negatur, quod *alio modo sit Ens rationis*, quando nempe non spectatur per modum negationis removentis formam, sed *quatenus actu rebus in propositione tribuitur per modum formæ positivæ iisdem inherens*. Quod tamen non ex se habet, sed ex ratione eam sic concipiente ob malignitatem vel aliam rationem graviolem ac modum, quem negatio live remotio hæc formæ in subjecto relinquit. Verùm ratio hæc est accidentalitæ cæcitati secundum se acceptæ, ut facile accuratius rem scrutanti patebit. *Clar. Dn. Jac. Mart. in prælect. Metaph. priv. lib. 1. cap. 14.*

XIV. *Propriè Ens reale dicitur, quod revera est aliquid, etiam nobis non cogitantibus aut intelligentibus*. Vel est ipsa natura & essentia rei, nempe quatenus aliquid aptum est, ut
actu

actu ac immediatè in rerum natura sit & existat. Observabis autem quod *aptitudinem accipiant* tribus modis. 1. *positive* de omni Ente, quod jam actu existit, imò etiam de eo, cui repugnat non-esse. Quæ aptitudinis acceptio fundetur in regula Logica. *Quod est, potest etiam esse.* 2. *privative*, quatenus exercitam sive actualem entitatem excludit, & nihilominus connotat respectum ad illam. Sic ajunt res improductas esse reales non quidem in se & respectu alicujus entitatis, quam actu habeant, ita namq; non sunt, sed quia possunt fieri reales recipiendo realitatem à causis suis. Atq; hinc est & habent, quod vulgò dicantur *Entia in potentia*, propterea nimirum, quia vel ens aliquod reale habet potentiam in se & determinationem ad perfectiorem actum & completam speciem. E. g. sperma humanum ad hominem: vel etiam ita dicuntur, quatenus saltem spectantur in non-repugnantia duorum extremorum, quæ potentia Logica dicitur: aliàs etiam objectiva nempè respectu habitudinis suæ ad efficientem, per quem in actum producitur, ut infra dicetur fusius. 3. *Medio modo sumitur aptitudo, quæ existentiam actualem absolute neq; ponit, neq; tollit, sed inter utramq; se tenet, vel ab utraq; indifferentiam quandam precise abstrahit.* Et hæc acceptio aptitudinis cum primis est hujus loci, & in descriptione Entis realis ~~neq; tollit~~ intelligitur. Ut accuratè docet *Clar. Dn. J. M. d. l.* Nam ut ibidem subtilis. ille Philosophorum ait. *Ens reale per aptitudinem hæc declaratum de suis inferioribus objectisq; aliarum scientiarum reverà quidditativè & essentialiter potest predicari.* Atq; hoc maxime desideratur in Ente Metaphysicè considerato, & prout esse debet objectum hujus scientiæ. Si enim juxta alias aptitudinis acceptiones explicetur, v. g. *Privative & in potentia esse; tum Deo repugnat, nempè cujus essentia est ipsa ejus existentia.* Sic etiam *actus entitativus & existentia, Metaphysicè loquendo in creaturis est accidentarium quoddam. Accidentarium dico non secundum rem, sed secundum figuram predicationis.*

B

catationis.

*rationis. Etenim creaturis secundum se essentialiter conceptis
indifferentiter convenit existere & non existere, esse actu & esse
in potentia. Confer etiam Suarez. disp. 31.*

XV. *Ens Rationis* variè dicitur. *Soncinas 6. Metaph. q. 18.*
accipi dicit quatuor modis. 1. *secundum constructionem intran-*
sitivam, quomodo dicitur *Ens rationis* illud, quod est ipsa ra-
tio sive intellectus. 2. *subjectivè*, quo sensu omnia, quæ subje-
ctantur sive sunt in intellectu tanquam in subiecto dicuntur
Entia Rationis. Ut omnes ideæ mentis, species intelligibiles,
habitus mentis omnes. 3. dicitur *Ens Rationis causaliter*, &
talia sunt, quæ quasi ex intellectu fiunt; ut artificialia. 4. *pro-*
ut distinguitur ab ente reali, quomodo *Ens rationis* propriè
& *Metaphysicè* dicitur illud, quod *objectivè* dependet ab intelle-
ctu, i. e. veritatem suam unicè & totaliter habet in intellectu,
& realitatē suam omnem ab operatione intellectus derivat,
ita ut cessantibus rationis cogitationibus planè nihil sit, &
nullum esse reale extra operationes mentis ipsi respondeat.
Cujusmodi *Entia rationis* sunt omnes notiones secundæ, tam
Logicæ, Grammaticæ & Rhetoricæ.

XVI. *Duo* hic notanter dicta volo. Primò *Ens rationis*
propriissimè dici illud, quod nihil habet præterquam objici intel-
lectui vel rationi, de illo cogitanti. Unde & illud rectè de-
scribitur hoc modo: *Ens rationis est, quod à ratione cogitatur*
ut Ens, cum tamen in se Entitatem non habeat; sed ut conceptus
ejus formalis; sic quoq; objectivus in mente est & à mente depen-
det. Deindè *Ens rationis esse illud, quod objectivè* (non quod
subjectivè) *existat in intellectu.* In eo namq; rationem Entis
rationis consistere puto, quod ejus objectivus conceptus uni-
cè dependeat ab operatione mentis. Nam *conceptum forma-*
lem de Ente rationis omnino reor esse realem, *Ens reale*, & rea-
lem terminum cogitationis aut actionis mentalis. Quia verò
huic formali non correspondet *objectivus realis*, idcò *Ens*
rationis dici judico.

XVII.

XVII. Hic ergò teneas *tripliciter aliquid esse in intellectu*,
subjectivè, objectivè, & objectivè consequenter. *Subjectivè
in intellectu esse* dicitur, quod in eo tanquam in subjecto qua-
si hæret, adeoq; in eo subjectatur, non secus ac omne acci-
dens est in substantia, color in pariete, imago hominis (stan-
tis ante speculum) in speculo. Sic omnes species intelligibi-
les intellectui inferuntur; sic omnes habitus & omnes artes
sunt in intellectu, & quæ alia in mente tanquam in recepta-
culo communi adservantur. *Objectivè in intellectu dicitur*,
quod esse suum extra mentem quidem habet, illi tamen ad
cognoscendum objicitur, non secus ac color, qui subjecti-
vè est in pariete, dicitur esse in visu objectivè, quatenus visui
objicitur ad videndum, quomodo & homo objectivè est in
speculo quatenus objicitur speculo ad repræsentandam
ipsius figuram. Sic Sol, astra dicuntur objectivè esse in ocu-
lis nostris quatenus ut objecta conspiciuntur. *Objectivè con-
sequenter in intellectu esse dicitur*, quando illud, quod in men-
te ab objecto formatum est (ideam scilicet rei) aliud dicitur
consequi ex collatione cum aliis. E. g. si de equo ideam ali-
quam formo, ista dicitur in intellectu subjectivè, quia nimi-
rum intellectus sese subjecit tanquam subjectum ad illam
ideam recipiendam. Equus autem ipse, quæ est extra meum
intellectum, & illi tamen objicitur, dicitur objectivè esse in
meo intellectu. Quando autem cum homine aut aliis rebus
confero conceptum sive ideam equi, tum deprehendo iden-
tatem aliquam communem cum istis, indeq; consurgit alia
denominatio, quæ equus à mente ita operante alio quasi no-
mine nuncupatur, vel genus, vel species. Quod nomen
equum conceptum consequitur ex operatione mentis, undè
istæ notiones generis aut speciei, ut & aliæ secundæ intentio-
nes omnes dicuntur esse in intellectu objectivè cōsequenter.
Et talia omnia, quæ ita sunt in mente, dicuntur Entia rationis.
Quæ aliàs porro hic monenda essent de Ente rationis pecu-

liari disputatione *ad Jēō* data occasione perstringemus. Quae ut uberius & paulo altius discutietur Ens rationis ita huc referri poterit. Interim consule *disp. ult. lib. 2. part. Metaph. Dn. Jac. Mart. Suarez. disp. Metaph. 56. Smiglec. disp. Log. 1. parte prima &c.*

XVIII. Tertia Entis latissimè sumti distinctio est, quae *Ens reale* dispescitur in *Ens per se* & *Ens per accidens*, quam habet *Arist. lib. 8. Metaph.* ubi notabis, quod *Terminus per se* variè capiatur. 1. *In ratione effectus*, quomodo significat id, quod fit ex intentione & virtute agentis. 2. *Sub ratione Entis pro eo*, quod est unicum & solitarium. 3. *Pro eo, quod habet ultimam actualitatem*, adeoq; non est ordinabile simpliciter ad aliquem actum ultra istum, quem habet. 4. *Pro eo quod visus natura non habet esse participatum* aut receptum ab alio, & citra ullam ab alio emanationem. Sed hae acceptiones non sunt hujus loci. *Hic enim potius ipsa perfectio Entis explicanda est in ordine ad unitatem atq; opposita Enti per accidens.*

XIX. Hic ergò *Ens per se* est, quod significat certam certae categoriae speciem, proindeq; verè unicum & simplex est. Ut *Philosophus* determinat d. l. vel ita. *Ens per se* est, quod representat essentiam simplicem & impartibilem sive illa categoriam certam ingrediatur, sive omnes transcendat. Ut *Deus, Ens, homo, lapis, quantitas, qualitas.* Confer. part. *Metaph. Dn. Jac. Mart. lib. 1. sect. 2. thes. 18. & seqq.*

XX. *Ens per accidens* est, quod unam categoriae speciem non designat, sed est *Ens* ex pluribus diversarum categoriarum entibus compositum. Ut sunt *Concreta & Aggregata.* *Concretio* talis sive compositio quae facit *Ens per accidens* est. 1. *quando accidens componitur cum subjecto*, ut *Musicus homo*, vel 2. *Subjectum cum accidente*, ut *homo doctus*, vel 3. *Accidens & Accidens*, ut *princeps doctus, sutor bonus.* Vide *Metaph. Cornelii Mart. p. 13. & 14. Exerc. Metaph. Dn. Jac. Mart. lib. 1. Exerc. 2. theorem. 4.* Adde etiam 4. *quando substantia*
conjun-

conjungitur cum substantia diversa per accidentalem compositionem, ut si dico, ferrum ignitum. *Aggregatio* facit Ens per accidens, quando plura cumulantur, vel ex ejusdem generis substantiis vel ex accidentibus, ita tamen, ut in unum minime coeant. Sic aggregatio & Ens per accidens est in acervo tritici vel lapidum.

XXI. Denique; *Ens per se negans distinguitur in positivum & privativum.* Quae distinctio ut trita & decantata admodum est in Scholis Philosophorum, ita & nobilissima, quae accuratorem & operosiore omnino exposcit disquisitionem. Hac tamen vice non licet omnia persequi, quia brevitati studere cogimur, ideò alia occasione peculiarem etiam de hisce terminis ob suam amplitudinem conscribemus disputationem, quam, cui libet, poterit huc referre, indeque ea, quae hic fortè desiderantur, complere.

XXII. Proinde breviter dico. *Ens positivum est essentia ipsa vel ejusmodi Ens reale, quod habet veram & essentialiter perfectam essentiam sibi debitam,* quando nimirum essentia cum subsistentia conjungitur, ut homo, Leo, Angelus. Sic omnis substantia vera est Ens reale, & omne accidens naturali perfectione non destitutum. E. g. Visus, Intellectus, ambulatio, coelum, astra, lapis, equus, virtus, scientia, &c. *Dicitur Ens positivum:* quia revera est aliquid, & revera in actu suo est positum, Itemque in universitate rerum revera est positum Ens, ut sit pars universi, & ita ponendo aliquid est Ens reale, indeque dicitur positivum.

XXIII. *Ens privativum est,* quod dicit negationem essentiae verae positivae in subjecto habili. Dicitur ita, *quia privatum & destitutum est aliqua bonitate & perfectione naturali naturaliter sibi debita.* Scilicet ob privationem aliquam dicitur privativum. *Privatio* autem est *boni detractio aut ablatio* ejus, quod perfectionem importabat. Unde privatio describitur, quod sit carentia sive absentia formae positivae sive

hâbitus in subjecto ad illum recipiendum à natura destinato. E.g. cœcitas, ignorantia, claudicatio, error, morbi, vitia &c.

XXIV. Sciendum verò, quod *privatio* sumatur *vel late vel strictè*. Illa dicitur ablatio formæ, quæ ad naturam rei, veramq; ejus integritatem non pertinet, sed duntaxat est superaddita forinsecus, vel ut ornamentum, vel ut norma actionum, vel ut munimentum externum, vel ut simile quid. Sic caput dicitur privari seroto, vel corona &c. Quæ acceptio est *impropria*, & abusivè dicitur privatio. Omnis autem vera privatio est vel præter vel contra naturam rei, & sic semper auferit aliquid à re, quod ad ejus perfectionem naturalem spectabat.

XXV. *Privatio strictè & propriè sumpta est* absentia istius formæ, quæ ad essentiam integritatemq; & internam rei naturam spectat. Hæc, inquam, privatio propriissimè est privatio, prior verò illa potius negatio, quam privatio quædam est. Quod observasse non parum commodabit. Sic peccatum originale hoc posteriore modo est Ens privativum, non priore, ut Scholastici & Papicolæ adhuc somniant. Reliqua quæ hic scitu & digna & necessaria essent, nunc mitto, & aliis amplioribus reservo scribendi meditandiq; conditionibus. Hæc ergò, nunc quidem ita, de distinctionibus Entis communioribus dicta sunt quoad Theses, sequitur

Usus & Abusus.

Usus hujus disputationis in singulis terminis elucescit. Primum *de Ente Incomplexo & complexo* hoc commodi habet Metaphysicus contemplator, ut sciat ipsius objectum distinctius adsumere & id, quod complexum est, remove. Itemq; resolvat complexa in Incomplexa venando eo quod ipsius est speculii. Similiter hæc distinctio Entis in Logica *egregie* non parum commodat, ubi maximè incumbit *complexa discernere ab Incomplexis*, & operationes mentis distinctè obser-

observare. Licet non planè eadem ratio sit horum termino-
rum in Logica & Metaphysica, tamen mutuas sibi dant ope-
ras, gratasq; vices. Deinde doctrina *de Abstracto & Concreto*
insignem spirat utilitatem. Non dicam quid in contempla-
tionibus Philosophicis commoder. In confesso enim est, ni-
si ubique abstractivam terminorum rationem sequestres à
concrevâ, infelix fore tentamen & erroris plenum certa-
men. *In Theologia* sanè magnam lucem adfulget disputationi-
bus & potissimum enunciationibus personalibus, de Christo,
*ubi distinguunt Theologi inter predicationes Abstractivas & Con-
cretivas.* Item inter abstracta naturæ & concreta naturæ. Item
inter Abstractum personæ & Concretum personæ. Qua de re
consule *Dn. Chemn. in Loc. Theol. lib. de duab. Nat. in Christo*
cap. 1. Dn. Meissn. in Sobr. Phil. p. 1. s. 4. cap. 5. Licet enim in Phi-
losofia foro non perfectè omnia proponantur, ut applica-
tio fieri solet horum terminorum, Abstracti & Concreti, in
Theologicis locutionibus, tamen ex Philosophicâ doctrinâ
de Abstracto & Concreto resultat intellectio facilior & usus
etiam horum terminorum accommodatior. Porro *Entis di-
stinctio in Reale & Rationis* post alias utilitates *facit ad distin-
ctiones disciplinarum:* ita ut Reale constituat reales scientias,
alterum verò limitet aut inferat rationales & instrumenta-
les. Eadem distinctio *Entis manifestat discrimen notionum pri-
marum & secundarum.* Quo sanè neglecto amplissimus ape-
ritur errandi campus: confusio oritur & *avaritia* in animo sci-
entis gignitur, quemadmodum olim ista incuria & confusio
satis pernicioso & nefando omine introduxit Rameam disse-
rendi (vel rectius blaterandi) libidinem, contumaciam aut
vesaniam. Præterea nec *distinctio Entis in per se & per acci-
dens* suo caret usu. Quam necessariam enim sit in disputatio-
nibus & in omni veritatis indagacione, ut distinguatur inter
esse per se & esse per accidens, neminè reor ignorare. In Logi-
cis conducit ut prædicationes paronymicas sive accidentales
rite

ritè distinguamus ab essentialibus: ita ut hæc esse per se repræ-
sentent, illæ saltem esse per accidens, aliàs facit ad intelligen-
dum axioma tritum: *Entis per accidens nulla datur scientia &c.*
Deniq; quis dubitabit *de usu distinctionis in positivum Ens &*
privativum. Patet usus ejus in totâ Philosophiâ, quâ tenemur
ubiq; distinguere inter naturam rei & ejus corruptionem si-
ve depravationem: Inter ejus perfectionem naturalem, quid
nimirum ex se in statu naturali obtineat, & inter ejus defe-
ctum, qui in statu corrupto ipsi fortè obtigerit per privatio-
nem. *In Theologicis* insuper multa reddit illustriora: Quando
de privatione docetur, quod *ab ipsa ad habitum non sit regres-*
sus, indè miracula divina illustrantur, in quibus omninò fa-
ctum regressum audivimus à privatione totali ad habitum.
Quomodo Christus restituit cæcis visum, surdis auditum,
mutis loquelam, &c. Inde Metaphysicus majorem poten-
tiam adscribit Christo, quàm quæ est nature. Sic idem indè
colligit ex resurrectione mortuorum omnipotentem & su-
pernaturalem Dei digitum, summumq; mysterium: ubi ex
doctrina de privatione callet, tale quid omninò esse impossi-
bile nature aut naturalibus viribus. Deniq; illa, quæ de pri-
vationis ratione proponuntur in articulo *de peccato Originali*
quàm maxime profunt, dum suo modo peccati Originalis
veritatem nobis magis magisq; ostendere possunt. Quod ni-
mirum sit corruptio, absentia, & ablatio perfectionis natu-
ralis, quod sit defectus &c. Et quia remotio justitiæ origina-
lis summa est miseria, faciunt offensiones in rebus spiritua-
libus & naturalibus, nos de pulcritudine amissorum suspica-
ri & insuper de miseria nostra dolere, postquam informatio
Spiritus Sancti in verbo lecto vel audito præcesserit. Priva-
tio etiam illa magis magisq; atrocitatem peccati originalis
ostendit. Scilicet privatio est non Ens. Quò autem quid ma-
gis discedit ab entitate ad non Ens, eò etiam magis à bonita-
te discedit ad malitiam. Ex summitate istius privationis ar-
guitur

guitur & cognoscitur iustitiæ amissæ magnitudo. Quando autem majus bonum tollit'privatio, tantò est peior & malignior. Et sic peccatum è ratione privationis maximè exaggeratur.

Cæterùm *Abusus horum terminorum est.* 1. Quando confundunt *Incomplexa & Complexa Logica cum Metaphysicis*, uti fecit Lippius definiens Incomplexum, quod per se una simpliciter voce exprimitur, ut Homo. Complexum, quod non una, sed pluribus & ad minimum duobus enunciatur vocabulis. Ubi itidem subjicit genera, species, propria, item causæ & effectus proximi. Hæc ait, quæ non essentialiter sibi conjunguntur, fiantq; ex causâ indeterminata. Ut equus est niger, Musicus ædificat. Ita Lippius. Sed abusivè. In Logicis fortè possent concedi, sed non Metaphysico aut Physico modo. Metaphysicum enim Incomplexum non semper una voce effertur. Sic & Complexum in Metaphysica non semper pluribus vocibus effertur, utpotè curro. Adde quod *Complexa Logica*, quæ sunt in primo modo per se (hoc est, entia Complexa per se) sint Metaphysica Incomplexa, & simplicia *verba*, licet interdum proferantur oratione Logica Incomplexa. 2. quando falsò utuntur terminis Abstracti & Concreti, eosq; malè applicant. *In Theologia hoc faciunt, qui abstractivas predicationes confundunt cum termino dici in abstracto*: Ut & concretivas locutiones cum *termino dici in concreto*. Quæ confusio etiam in Philosophicis non tolerari debet. Theologi autem Orthodoxi vocant *Abstractivas predicationes*, in quibus abstracta naturæ ponuntur loco subjecti: Ut cum humanitas omnipotens aut omniscia dicitur. *Concretivas predicationes* dicunt, quando vocabula personæ aut concreta naturæ ponuntur. E. g. Christus est æternus, Deus est passus. Verùm per *dici in abstracto* notare volunt fundamentum & causam prædicationis. Et dicunt tum in abstracto aliquid dici de naturis, quando de iis dicitur respectu naturali & ratione quidditatis

ditatis suæ. Sic juxta prædicationem abstractivam rectè quidem dico: *Humana Christi natura vivificat*; sed non rectè dicitur: *Humana Christi natura in abstracto vivificat*, quia scilicet illud prædicatū non $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\acute{o}s$ ipsi competit. Vide *Dn. Chemnit. lib. de duab. Christi nat. cap. 1.* Quæ ubi non distinctè observantur, errores suboriuntur crassissimi. Ne etiam abusus terminorum Abstracti & Concreti magis magisq; excrescat, observent, quod non rarò voces concretivas & abstractivas soleant commutare, ita ut istæ pro his, & hæc pro istis ponantur. Ita justitia dicitur pro justo metonymicè. Sic *Paulus 2. Cor. 12. se vocat καύχημα*, glorificationem Corinthiorum. Et *Arist. 5. Met. cap. 15.* ait, æqualia esse $\acute{\omega}\nu\ \pi\omicron\sigma\sigma\acute{\omicron}\nu\ \acute{\epsilon}\nu\ \pi\omicron\sigma\sigma\acute{\omicron}\nu\ \pi\omicron\sigma\sigma\acute{\omicron}\tau\eta\varsigma$. Antiqui ante Ciceronem quale dicebant, non qualitatem, pingue non pinguedinem, ante Plinii tempora &c. ait *Seal. de caus. L. L. cap. 70. 3.* Multiplex abusus latitat in confusione Entis per se & per accidens, quemadmodum experientia quotidie in semidoctis, Sophistis & malignis disputatoribus testatur. 4. Abutuntur doctrina de Ente positivo & privativo non pauci. Præsertim hodie in articulo de peccato Originali, abutuntur doctrinâ de privatione. Papicolæ, quando peccatum Originale extenuant ac si esset nuda privatio sine corruptione, confundentes privationem latè sumtam & strictè, & illam hac in re admittentes, non verò hanc: Ubi è contrario veritas evicit peccatum Originale esse Ens privativum strictiori significatu sumtum, adeoq; cum maximâ corruptione, depravatione, & ablatione Connaturalium virtutum. Sed de his hac vice fatis.

AXIOMATA.

1. *Complexio & Incomplexio non accidunt rei utres, nec voci ut vox, sed ut refertur ad intellectum simplicem vel compositum.* Id est, qui est intuitivus unius rei simplicis, Albertus Mag. de prædicament. Satis apertè hujus axiomatis veritas patet.

patet in incomplexis Logicis. In Metaphysicis etiam obtinet. Licet enim illa complexio sit realis & ipsius rei, tamen subinfert schesin ad intellectum, qui illam animadvertit & apprehendit, non verò facit, uti in Logicis.

2. *Complexio decernit unionem complexi per modum denominantis.* Averr. Epit. Log. ex quæst. text. Et per hoc fit complexum unum, ait ipse ibidem. Scilicet complexio infert & supponit diversitatem compositionemq; accidentalem vel ad modum accidentis. Non autem ex essentiali compositione resultat complexio Metaphysica sive Physica.

3. *Sola Incomplexa vlt̄a pertinent ad Metaphysicam.* Quia enim Ens Complexum non pertinet ad Ens simplicissimum, quatenus concipitur ut Ens, ex agro Metaphysico removeatur. Illud enim saltem spectat Ens quasi est concretum & per accidens, vel quatenus hoc aut illo modo enunciatur, uti agitur de ipso in Logicis: Nihilominus Entis complexi mentio fit hîc, propter principia complexa, quæ in Metaph. proponuntur & ad inferiores disciplinas accommodantur inq; exercitio applicantur, & principia cognitionis hîc rectè dicuntur.

4. *Incomplexum ac Complexum non planè idem sunt ac Abstractum & Concretum.* Ita patet. i. quia non omne concretum est complexum strictè dictum in Logica significatione, nec contra. Ut Albus, Corporeus. Item quando negativè dico: Homo non est lapis. Imò in affirmativis essentialibus Complexis Logicis non est concretio. E. g. substantia est essentia. Deus est Spiritus. Homo est animal. Attributio ibi est & complexio Logica, sed non concretio. Qua de re in nostris axiomatibus Metaphysicis aliàs uberius diximus. Confer part. Metaph. Cl. Dn. Jac. Mart. lib. i. f. 2. q. 10.

5. *Abstractum Metaphysicum est Ens unum & simplex.* Quia simplicem formam importat. Attende verò, quod Ens simplex duplici modo dicatur, vel prout omni compositioni

opponitur, quomodo illud simplex est, quod non potest resolvi in diversas entitates, sicq; imprimis Deus est simplex: vel simplex dicitur, quod non omni compositioni opponitur, sed saltem accidentali, quomodo illa entia sunt composita, quæ per accidens uniuntur, ut homo doctus, vel album esse. Quæ verò essentialiter sunt composita vel unita, etiam hoc modo sunt simplicia. Sic corpus hoc sensu simplex est. Item, homo, animal, Leo, canis &c. Et hoc posteriori sensu dicitur, quod omne abstractum sit Ens unum & simplex. Dicitur itaq; abstractum Ens simplex, quod non implicet res diversas, tanquam sine plicâ rerum distinctarum.

6. *Abstractum non excludit omnem compositionem, sed eam, quæ est ex concursu entium diversorum accidentali.* Quia scilicet datur essentia composita per se una, quæ est abstracta, ut patet in corpore. Licet enim ibi sint partes essentielles, istæ tamen omnes adsurgunt ad unam essentiam constituendam & sic sub una essentia continentur. E.g. Aqua implicat formam & materiam, indeq; illius materiæ plures partes integrantes: Quia autem illæ partes omnes continentur sub una aquæ essentia, dicitur aqua & est unum Ens per se & abstractum, non verò concretum, licet sit compositum Ens per unionem partium essentialem. Longè aliter se res habet in compositione accidentali. Ibi namq; accidentia vel quasi accidentia, quia accidentaliter uniuntur subjecto, concretescunt cum ipso, adeoq; inde oriuntur concreta.

7. *Abstractum est prius concreto.* Quia est quasi forma concreti. Undè Concretum dicitur ab Abstracto non contra. Intellige verò abstractum esse prius Concreto in derivatione Logica sive rei. Nam quoad derivationem grammaticam Concretum prius est abstracto. Hinc ait Scal. de causis lat. ling. cap. 70. Quantum de quantitate est si rem spectes; At contra si vocem, quantitas à quanto dicta est. Deindè intelliges axioma de Abstracto & Concreto in Entibus particulari;

cularibus & creaturis. Nam in transcendentibus & divinis idem sunt quoad rem; Ut Ens & Entitas, Deus & Deitas. Omnipotens & omnipotentia.

8. *Concreta sunt compositiora Abstractis, sed differenter.* Aliquando enim tantum sunt compositiora quoad nostrum apprehendendi modum, ut Deus & Deitas, Ens & Entitas, Unum & Unitas &c. Aliquando etiam sunt compositiora quoad rem, uti est in aliis accidentaliter compositis.

9. Quicquid verè existit extra intellectum, Ens reale est. Sed non contra. Quippè non accipit suum esse à ratione sive intellectus operatione. Ergò etiam opus rationis minime est, ergò neq; Ens rationis dici potest. Ergò Ens reale sit oportet: cum non detur tertium inter rationis & reale. Non autem contra licet inferre: quicquid Ens reale est, est etiam extra intellectum, quippè & habitus sunt in intellectu, & sunt entia realia ut alibi demonstratur.

10. *Quodcumq; Ens reale est, extra operationem mentis reverà esse suum obtinet. Et contra, quod esse ratum habet extra fictionem intellectus, id omne Ens reale vocitatur.* Patet hoc è dictis in thesibus. Tale enim rea e m naturam sive essentiam objectivam ex se habet, etiam nobis non cogitantibus. Ergò ipsius esse non dependet objectivè ab anima concipiente vel fingente. Ergò non est opus vel figmentum animæ sive rationis. Ergò non est Ens rationis, sed reale.

11. Omne Ens reale est in natura & à natura. Manifestum hoc est ex definitione Entis realis, ubi à Dn. Jac. Mart. in part. Met. lib. 1. c. 2. describitur, quod sit ejusmodi Ens, quod habeat suum esse in natura & à natura; non verò à mente nostrâ, quodq; homine non cogitante reverà est, ut Leo est Ens reale, quia etiam homine non cogitante in natura sive in mundo est. Sciendum verò quod esse in natura hîc sit existere in hoc universo, vel etiam ἀπλῶς & revera actuale esse obtinere. Esse autem à natura opponitur hic illi quod

est à mente. Ergò omne illud, quòd non fingitur, aut unice fabricatur ab intellectu dicitur esse à natura.

12. *Etiam intellectus facit Entia realia.* Quia scilicet reverà elicit actiones reales & positivas. Quibus necessario correspondet terminus realis & positivus. Hinc habitus mentis & ideas intellectus esse Entia rationis negamus. Hinc conceptus omnes formales, qui fiunt à mente & in mente, sunt Entia realia. Confer thesin 16.

13. *Entia rationis & subjectivè & objectivè dependent ab intellectu.* Dico quod dependeant ab intellectu tum subjectivè, tum objectivè. Utrumq; enim requiritur, ut aliquid sit Ens rationis. Non enim sufficit, ut dependeat subjectivè tantum, sic enim omnes habitus & omnes scientiæ dependent à mente, nec tamen indè fiunt Entia rationis; sed etiam objectivè debet dependere ab intellectu Ens rationis, ita nimirum, ut non habeat objectivum esse proprium extra cogitationem, aut fictionem mentis, sed unice ab intellectu fabricetur ejus conceptus, tam objectivus quam formalis. Qua de re alibi fusius dicetur.

14. *Quicquid per se est aliquid, per se etiam est intelligibile.* Arist. 2. Met. cap. 11. Ubi ait. ὡς γὰρ ἕκαστον ἔχει τὸ εἶναι. ἔτι καὶ τῆς γνώσεως ἔτι τῆς ἀληθείας. Intelligibilitas enim insequitur entitatem.

QUÆSTIONES I.

Quid Propriè sit Abstractum & quot modis dicatur?

Abstractum denotare simplicem essentiam, è thesibus notum est. Quia verò variè vox abstracti sumitur, adhuc quædam monenda videntur. Removemus autem illorum opinionem, qui Grammatico sensu putant Abstractum esse nomen substantivum, & concreta esse adjectiva. Non enim, nuda vocabula in Philosophicis spectamus, sed res sive ὄντα illis

illis significata. Nunc dicimus quod Abstractum dicatur
1. *Physicè per realem separationem*, quomodo abstractum est
quasi sejunctum, distractum & separatum. Quomodo e con-
trà concreta dicuntur Physicè, quæ realiter coalescunt sive
cohærent. Sic Anima quando separatur à corpore, dicitur
Physicè ab illo abstrahi. Hinc quoad hunc modum loquen-
di non erroneum est dicere abstractum id, quod est extra
unionem itemq; concretum, quod est in unione: Quicquid
etiam Goclenius contra garriat & alii Calviniani. Scilicet
hoc modo sumitur abstractum pro avulso & realiter separa-
to. 2. *Metaphysicè aut Logicè juxta abstractionem mentalem &
precisionis*, quomodo abstracta dicuntur tum substantiæ, tum
accidentia. Substantiæ abstrahuntur vel ab existentia, vel à
subjecto essentiæ: *Abstracta existentia in substantiis* dicuntur,
quæ præscinduntur à conditionibus individuantibus (qua-
les sunt, hinc, nunc, hoc esse) Aliàs dicuntur abstracta à ma-
teria signata. Sic objecta omnium scientiarum sunt abstra-
cta. Sic & homo, quatenus est universale vel species, dicitur
abstractum. *Abstracta essentiæ* vocant, quando non simul ipsa
substantia involvitur, quæ habet essentiæ, sed nuda tantum
substantiæ essentiæ seu quidditas consideratur. Nempè in o-
mni Ente duo sunt 1. τὸ ἔχον habens, & τὸ ἐχόμενον, id quod ha-
betur. Illud subjectum essentiæ; Hoc vocatur ipsa essentiæ.
Sic *Homo* exprimit duo 1. illud, quod est homo. 2. quid-
ditatem hominis, per quam homo est homo. Hinc Homo
hoe modo est concretum & humanitas abstractum. Acci-
dentia quoq; diversimodè abstrahuntur. Primò *accidentia
abstracta existentia* seu suppositi dicuntur, quando mente se-
parantur à subjecto, cui aliàs insunt, ut est color. *Accidentia
abstracta essentiæ* vel à subjecto essentiæ dicuntur, quando nu-
da forma, & quidditas accidentis attenditur. Ut si dicitur co-
loreitas. Quæ abstractio rectè dicitur ultimata. 3. *Scholasticè*
Abstracta dicuntur vocabula naturæ, ubi Scholastici vel ve-
teres

teres doctores Papistici appellant abstracta, quæ in Christo solas naturas significant; Concreta verò, quæ personam significant. Undè est illorum regula: *Abstracta vocabula supponunt pro naturis, concreta pro persona.* Vide Dn. Chemn. in lib. de duab. Christi nat. cap. 1. Quæ tamen usurpatio terminorum arguitur imperfectionis, exindè quod non semper concreta apud Theologos notant totam personam, sed quandoq; naturam alteram cum hypostasi. Vide D. Meiss. part. prim. Sobr. Phil. s. 4. cap. 5. Ubi & de sensu abstracti Theologico plura adinvenies. Nobis hac vice de varietate Abstracti hæc dixisse sufficient.

II.

An Ens rationis terminet intellectum?

Intellectus noster *subjectivè* quidem est determinatus, sed *objectivè indeterminatus*, quæ indeterminatio facit, ut sit in potentia ad omnia. Undè ad certum aliquod intelligendum debet determinari à re vel objecto determinato. *Quæritur ergò de Ente rationis*, an illud etiam intellectum movere, eumq; determinare possit. Respondemus autem negativè eò, quia intellectus non cognoscit Ens rationis, ut objectum suum, sed ut aliquid quod terminat objectum intellectus, cuius cognitionem reddit faciliorem: vel ut aliquid quod sequitur ad operationem ipsius ex objecto apprehenso.

* * *

SOLI DEO GLORIA.


AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle
003 357 104

3







ATIONUM
 YSICARUM
 NTA
 TIONIBUS
 TIS,
 am
 m DEO
 RESIDIO
 S SCHARFII
 d. Saxonis,
 acultatis Philosophicae
 eleberrimâ Academia
 ERGENSI
 icè
 m exhibet
 CÖLERUS
 ô-Pom.
 horis à septima
 inis.
 ERGÆ
 RISTIANI THAM,
 Typogr.
 C XXIII.

6

